



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De sermone Christi in monte generatim. Matt. 5. Luc. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

noctem in oratione excubans, per diem se totum operibus misericordiae & charitatis eidem gregi exhibendis impendit, abundè implens illud: *Ego pascam oves meas, quod abiectum erat, reducam; & quod contractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo;* atque hoc ipso nos instruit, ut ea, quae nobis in monte contemplationis, seu in diuinarum rerum meditatione Deus suggererit, in praxin redigere, atque in utilitatem proximorum conuertere, insuper omnes odore exemplaris conuersationis ad Deum trahere satagemus. Zelus omnes oratione, verbo, exemplo ad Deum trahendi, omniq̄ ope iuuandi.

Ezech. 34

De sermone Christi in monte generatim. Matt. 5, Luc. 6. III

I. *Videns Iesus turbas ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Quanta gratiae praerogatiua cum discipulis illis peculiariter dilectis, prae tot millenis alijs in vallibus concupiscentiarum huius mundi derelictis euocari à Christo ad montem, seu statum sublimiorem Evangelicae perfectionis, in quo liceat

K & S audi-

Exod. 19. audire verum Doctorem iustitiæ o-
Matt. 11. lim Patribus promissum, arcana con-
 lestia sapientibus & prudentibus hu-
 ius sæculi abscondita parvulis reuelan-
 tem, nec iam apparentem in forma ter-
 ribili antiquam legem timoris per me-
 diatores Angelos tradentem, sed mira-
 cum serenitate vultûs, & vocis suavi-
 tate nouam legem gratiæ & charitatis
 explicantem.

Isa. 30. Verè beati-discipulorum oculi, qui
 meruerunt videre illum, de quo præ-
 dictum per Isaiam: *Et erunt oculi tui*
videntes præceptorem tuum. Verè beatae
 aures, quæ meruerunt audire illum, de
 quo ibidè: *Et aures tua audient verbum.*
Hac est via; ambulate in ea, & non de-
clinatis neque ad dexteram, neque ad sini-
stram.

Quàm beati quoque oculi & aures
 mentis illorum, qui ad perfectionis
 statum vocati, intus eundè Magistrum
 tam miris modis docentem, illumi-
 nantem, consolantem, arguentem, ad
 perfectiora exstimulantem audite, &
 quodammodo videre & sentire me-
 rentur! Gratitude pro gratia vocatio-
 nis, zelus eidem cooperandi.

II. In hoc monte Christus triplex mu-
 nus exercuit: I. Doctoris, in quo sunt
 om-

omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, scientiam perfectionis & salutis docendo. 2. Legislatoris, veterem legem aduersus deprauationes Pharisaicas declarando, & nouæ legis sublimitatē proponendo. 3. Consiliarij, perfectiora super debitū legis suadendo: idque quam excellenter præstitit, non tantum exterius docendo, sed interius quoque illuminando, atque adimplendum mouendo: quanto maioris æterni Patris gloriæ zelus, quanto maioris augmenti gratiæ & gloriæ desiderio? Quam sedulò quoque hic cœlestis Magister eadem in corde tuo, & cuiusque, ex turba hominum ad statum sublimiorem vocati, præstat, modò sit, qui sublimiora docenti, obscuriora explananti, perfectiora consulenti attendat, & alacres mentis aures porrigat. Gratitude, feruor parendi diuinæ inspirationi ad meliora propellenti.

III. Eleuatis oculis in discipulos, beatos eos prædicat, & octo Beatitudines, quasi octo scalas cœlestis gradus, quibus ad perfectionem ipsamque cœlestem Beatitatem se conscendendum, ijs explanat. Quod illis olim in car-

ne visibilis corporaliter præstitit; idem omnibus ad statum perfectionis vocatis etiam nunc spiritualiter præstare non desinit. O quanta felicitas, sic eleuatis oculis à Christo respici, Beatis nunc in spe, olim in re accenseri, & tam faciles & compendiosas mundo hucusq; incognitas ad cœlum vias ab eodem audire mereri! Gratitude, zelus ad perfectionem in his octo Beatitudinibus comprehensam strenuè cõ-
tendendi.

IV. De i. Beatitudine. *Beati pauperes spiritu.*

I. **E**Xpende, in quo hæc paupertas spiritûs, quàm infallibilis veritas primum in cœlesti scalâ gradum collocat, potissimum consistat, nimirum in perfecto contemptu mundi & sui; seu in voluntaria omnium, quæ in mundo quis habuit, aut habere potuit, aut voluit, quoad affectum & effectum, amore Dei & perfectionis, abdicatione, & sui ipsius in abyssum nihil sui profundissima depressione.

Quis mundo persuadeat, illum esse beatum, qui spontè se, non solum omnibus temporalibus spoliatur, diuitijs, honoribus, voluptatibus, quibus